

INCIPIT LIBER SAPIENTIÆ SOLOMONIS

¹ [Diligite justitiam, qui judicatis terram.
Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate
cordis quærite illum:*

² quoniam invenitur ab his qui non tentant
illum, apparet autem eis qui fidem habent in
illum.

³ Perversæ enim cogitationes separant a Deo;
probata autem virtus corripit insipientes.

⁴ Quoniam in malevolam animam non introibit
sapientia, nec habitabit in corpore subdito
peccatis.†

* **1:1 Prologus** Liber Sapientiae apud Hebræos nusquam est. Unde et ipse stylus Græcam magis eloquentiam redolet. Hunc Judæi Philonis esse affirmant. Qui proinde Sapientiae nominatur, quia in eo Christi adventus, qui est sapientia Patris et passio ejus, evidenter exprimitur. **Diligite justitiam,** etc. RAB. in lib. Sap., tom. 3. Hunc librum Hieronymus asserit non a Salomone, etc., **usque ad Diligite justitiam,** etc. **Terram.** Carnem, scilicet discrete reprimitis, ne superbiat contra spiritum. Quasi: **Primum quærite regnum Dei** Matth. 6., etc. **In simplicitate.** Id est voluntati illius vos subjicite: et mandata custodite; quasi dicat: Qui non intelligitis, nolite reprehendere, quia secreta Dei non possunt humana ratione comprehendi, quia incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus Rom. 11.. † **1:4 Quoniam in malevolam,** etc. Id est in animali homine, juxta illud: **Animalis homo non percipit** I Cor. 2., etc. Et ideo non dixit spiritum, id est animam spiritualem. RAB. Frustra sibi blandiuntur philosophi, et hæretici, et falsi Christiani. Soli enim mundo corde sapientiam Dei possunt ciperere.

⁵ Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate.

⁶ Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor.‡

⁷ Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.§

⁸ Propter hoc qui loquitur iniqua non potest

‡ **1:6 Benignus.** Contra illos invehitur, qui cogitationes bonas et malas dicunt a Deo immitti; cum Deus velit omnes salvos fieri homines, et ad cognitionem veritatis venire. Ipse enim neminem tentat, ut decipiat, sed ut probet, unde: **Tentavit Deus Abraham** Gen. 22.; et, **Proba me et tenta me** Psal. 25., etc. Unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua, et justo Dei judicio permittitur cadere, qui spiritui veritatis noluit obedire. § **1:7 Et hoc quod continet omnia.** Id est Spiritus, qui omnia gubernat et regit. Vel, qui attingit a fine usque ad finem, **scientiam habet vocis**, id est, intelligentiam Scripturarum præstat hominibus. Vel, **quod continet omnia**, id est, homo qui convenientem habet cum omni creatura. **Scientiam habet vocis**, id est diversarum linguarum Spiritu sancto, qui dedit apostolis loqui diversis linguis magnalia Dei. Vel **quod continet omnia**, id est Spiritus sanctus, qui omnia replet sua essentia, **scientiam habet vocis**, id est Verbi Dei, id est ejusdem est scientiæ cum Verbo. Vel, **hoc quod continet omnia**, id est Ecclesiam, in qua **alii datur sermo scientiæ**, etc. RAB. Qui in principio **ferbatur super aquas**, et majestate sua omnem creaturam implet et continet.

latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. **

⁹ In cogitationibus enim impiï interrogatio erit; sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

¹⁰ Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur.

¹¹ Custodite ergo vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractioe parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit, os autem quod mentitur occidit animam.]††

¹² [Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.‡‡

¹³ Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.

¹⁴ Creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.

¹⁵ Justitia enim perpetua est, et immortalis.

¹⁶ Impii autem manibus et verbis accersierunt illam, et æstimantes illam amicam, defluerunt; et

** **1:8 Propter hoc.** RAB. Sicut electi donum scientiæ et pietatis per Spiritum accipiunt: sic reprobi, superbia sua inflati, errorem suum impudenter proferunt; quoniam spiritum Dei celare non possunt, nec justam pœnam evadunt: quia sicut oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, ita vultus Domini super facientes mala. †† **1:11 Custodite ergo.** RAB. Perniciosæ sunt murmurationes et detractioes, unde: **Susurriones enim et detractores Deo sunt odibiles** Rom. 1.; unde: **Qui detrahit alicui rei, in futurum se obligat** Prov. 13.. **Os quod mentitur.** ID. Est mendacium levioris culpæ, etc., usque ad et ipsum bonum remunerat. ‡‡ **1:12 Nolite zelare.** ID. Enumeravit, quæ sunt homini noxia, etc., usque ad sed potius ex vitio.

sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.]§§

2

¹ [Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.*

² Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus. Quoniam fumus flatu est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum:†

³ qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aër; et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata.

⁴ Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum.

⁵ Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, et nemo revertitur.

§§ **1:16 Et sponsiones.** Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. * **2:1 Dixerunt enim.** RAB. Vox perditorum, etc., usque ad et in nihilum redigemur. † **2:2 Quoniam fumus.** Vere nihil erimus, quia **fumus et flatu est in naribus nostris.** id est, in corpore nostro, id est corpus nostrum fumo et flatui comparatur, qui simul oriuntur et deficiunt. **Et sermo scintilla.** Id est anima comparabilis scintillæ, quæ statim fit nihil, **sermo** dico, id est, anima. **Ad commovendum cor nostrum.** Id est vegetat corpus. Et quod ita sit exponendum, probat subdens. **Quia extinctus cinis,** et post, **spiritus diffundetur**

⁶ Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter.

⁷ Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis.

⁸ Coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum pratium sit quod non pertranseat luxuria nostra:

⁹ nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ. Ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.

¹⁰ Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis:‡

¹¹ sit autem fortitudo nostra lex justitiæ; quod enim infirmum est, inutile invenitur.

¹² Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

¹³ Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat.

¹⁴ Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.

¹⁵ Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus.

¹⁶ Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum.

¹⁷ Videamus ergo si sermones illius veri sint, et

‡ **2:10 Opprimamus.** RAB. Generaliter pertinent hæc ad eos, etc., usque ad nec ipsi capiti parent, sed blasphemant, et arguunt.

tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius. §

¹⁸ Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum.

¹⁹ Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius.

²⁰ Morte turpissima condemnemus eum; erit enim ei respectus ex sermonibus illius. **

²¹ Hæc cogitaverunt, et erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum.

²² Et nescierunt sacramenta Dei: neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.

²³ Quoniam Deus creavit hominem inextiminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. ††

²⁴ Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum:

²⁵ imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.]

3

¹ [Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et

§ **2:17 Videamus.** RAB. Similia in Evangelio dicuntur, ubi pontifices et Pharisæi consilium inierunt, quomodo Jesum morti traderent: et in cruce posito illudebant, dicentes: **Alios salvos fecit, seipsum autem,** etc. **Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce** Matth. 27., etc. ** **2:20 Morte turpissima.** Cruce, scilicet, quæ usque ad passionem Christi pœna reorum fuit, nunc tropæum est victoriæ.

†† **2:23 Quoniam Deus.** Id est, non est auctor malorum Deus; ad immortalitatem enim creavit hominem, qui diabolicæ consentiens suggestioni, mortis sententiæ subjectus est.

non tangent illos tormentum mortis.*

² Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum,

³ et quod a nobis est iter exterminium; illi autem sunt in pace:

⁴ etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

⁵ In paucis vexati sunt, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.

⁶ Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum.

⁷ Fulgebunt justi et tamquam scintillæ in arundineto discurrent.†

⁸ Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.‡

⁹ Qui confidunt in illo intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum et pax est electis ejus.

¹⁰ Impii autem secundum quæ cogitaverunt correptionem habebunt: qui neglexerunt justum, et a Domino recesserunt.

¹¹ Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit infelix est: et vacua est spes illorum, et labores

* **3:1 *Justorum autem animæ.*** RAB. In priori capite iniquorum sententia expressa est, etc., usque ad unde: ***Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*** Psal. 115.. † **3:7 *Scintillæ.*** Scintilla duo facit, scilicet mutat cito arundinetum, et vindicat. ‡ **3:8 *Et regnabit Dominus.*** Cum quo et membra regnabunt. Unde in Daniele: ***Regnum et potestas, et magnitudo regni, quæ est super cælum, dabitur populo sanctorum Altissimi*** Dan. 7..

sine fructu, et inutilia opera eorum. §

¹² Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii eorum.

¹³ Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis; et incoquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum; **

¹⁴ et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.

¹⁵ Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ.

¹⁶ Filii autem adulterorum in inconsummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur.

¹⁷ Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum:

¹⁸ et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. ††

¹⁹ Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.]

§ **3:11 Sapientiam.** RAB. Possunt hæretici in hac sententia notari, etc., usque ad sed operationem reproborum maledictione æterna dignum esse ostendit. **

3:13 Quoniam felix. ID. Potest in **sterili** et in **spadone** virginum ordo intelligi, etc., usque ad in voluntate animi, non debilitate corporis. †† **3:18 In die agnitionis.** Id est, iudicii, quando electi a iudice suo agniti, ad regnum possidendum invitabuntur; mali autem nulla spe restorationis consolabuntur, sed in æternum cruciandi a conspectu summi regis expellentur.

4

¹ [O quam pulchra est casta generatio, cum claritate ! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.*

² Cum præsens est, imitantur illam, et desiderant eam cum se eduxerit; et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.†

³ Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.‡

⁴ Etsi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur.

⁵ Confringentur enim rami inconsummati; et fructus illorum inutiles et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti.

⁶ Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua.

⁷ Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in

* **4:1 O quam pulchra est,** etc. RAB. Vituperatis et hæreticis et schismaticis laudat catholicos, etc., usque ad et ideo ait: **Cum claritate,** etc. † **4:2 Præmium vincens.** Præmium datum pro certamine transitorio, quod majus est illis certaminibus et persecutionibus. ‡ **4:3 Multigena autem impiorum.** Alternatim de catholicis et hæreticis loquitur, ut horum laudabilem sapientiam, illorum vituperabilem demonstret versutiam. **Plantationes.** Quoniam Græce, vitulus Latine dicitur; quidam non intellexerunt esse plantationes, et **vitulina** interpretati sunt: qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum.

refrigerio erit;§

⁸ senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis,

⁹ et ætas senectutis vita immaculata.

¹⁰ Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est.**

¹¹ Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.

¹² Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.††

¹³ Consummatus in brevi, explevit tempora multa;

¹⁴ placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia,

¹⁵ quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.

¹⁶ Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juvenus celerius consummata longam vitam injusti.

¹⁷ Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare

§ 4:7 **Justus**, etc. RAB. Cum dixisset de malorum interitu, etc., usque ad illi de vita ad mortem æternam. ** 4:10 **Placens Deo**. RAB. Non ideo tollit Deus, etc., usque ad unde Petrus, **Novit Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii cruciandos reservare** I Petr. 1.. †† 4:12 **Fascinatio**. ID.

Notatur hac sententia, etc., usque ad Deus enim eos a malorum societate separavit, ut **absconderet eos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum** Psal. 30..

munierit illum Dominus.

¹⁸ Videbunt, et contemnent eum; illos autem Dominus irridebit.

¹⁹ Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam dirumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur, et erunt gementes, et memoria illorum peribit.‡‡

²⁰ Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.]

5

¹ [Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.*

² Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis;

³ dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii.

⁴ Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore;

⁵ ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.

‡‡ **4:19** *Dirumpet illos inflatos sine voce*, quia erunt inexcusabiles: *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glori ficaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in pravis cogitationibus suis* Rom. 1.. * **5:1** *Tunc*, etc. *Lassati sumus*, etc. RAB. Lassati sunt philosophi, etc., usque ad unde dicunt dolentes, *Quid nobis profuit superbia?*

⁶ Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.

⁷ Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus.

⁸ Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?

⁹ Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrens,†

¹⁰ et tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus;

¹¹ aut tamquam avis quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aërem: commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius;

¹² aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aër continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius:

¹³ sic et nos nati continuo desivimus esse; et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.

¹⁴ Talia dixerunt in inferno hi qui

† **5:9 *Tamquam umbra.*** RAB. Per ***umbra***, oblivionem mentis, etc., usque ad quæ præcedunt occasum vitæ corruptibilis. ID. Per ***avem***, excellentiam, etc., usque ad gementes nulla voce consolationis relevabuntur.

peccaverunt:‡

15 quoniam spes impii tamquam lanugo est quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.§

16 Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum.**

17 Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.

18 Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.††

19 Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum;

20 sumet scutum inexpugnabile æquitatem.

21 Acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

‡ 5:14 *Talia dixerunt in inferno hi qui.* Adhuc quatuor species alias introducit, quibus stultam spem iniquorum demonstrat, quia præsentia mensura tantum putant, vel evadere se impunitos.

§ 5:15 *Lanugo est, quæ a vento tollitur.* Quæ ex flore herbarum marcido oriens, carnis fragilitatem exprimit, quæ a vento ægritudinis, vel molestia corporis cito tolletur, **quia omnis caro fenum. Et tanquam spuma gracilis.** Spuma ex aquis edita super aquam enatat. Hic est appetitus humani favoris, et jactantiæ vulgaris, quæ procella tentationis vel discussione iudicii dissolvitur, vel dispergitur, id est quam vana fuit probatur.

** 5:16 *Justi autem in perpetuum vivent.* RAB. Post peccatorum pœnas, etc., usque ad Dei fruentur, in quo totam suam spem posuerunt. †† 5:18 *Accipiet armaturam.* RAB. Creator omnium, etc., usque ad cum resistere non valeant.

22 Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.##

23 Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines; excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. §§

24 Contra illos stabit spiritus virtutis, et tamquam turbo venti dividet illos; et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.]

6

1 [Melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis.*

2 Audite ergo, reges, et intelligite; discite, iudices finium terræ.

3 Præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum.

4 Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.

5 Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.

5:22 *Et ad certum locum.* Quacunque necesse est: non enim potest esse confusum, quod est divina sapientia ordinatum.

§§ 5:23 *Et flumina,* id est, persecutionum commotiones, plerumque enim corda pravorum quæ prædicatio non emollit, flagellum collectionis frangit. * 6:1 *Melior est sapientia,* etc. RAB. Monet rectores Ecclesiæ, etc., usque ad non solum opera, sed cognitiones et voluntates iudicabit.

6 Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet.

7 Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.†

8 Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem ejus cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.‡

9 Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

10 Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei: ut discatis sapientiam, et non excidatis.§

11 Qui enim custodierint justa juste, justificabuntur; et qui didicerint ista, invenient quid respondeant.

12 Concupiscite ergo sermones meos; diligite illos, et habebitis disciplinam.**

13 Clara est, et quæ numquam marcescit,

† 6:7 *Exiguo enim conceditur misericordia.* His scilicet, qui per ignorantiam, vel fragilitatem, vel necessitatem peccaverunt, et humili pœnitentia deleverunt. *Potentes autem potenter;* etc., qui, scilicet, mandata Dei contemnendo, gravia peccata commiserunt, nec pœnituerunt. Sicut enim potentiores fuerunt in impietate, fortiora sustinebunt tormenta gehennæ. ANAST. Quamnam ob causam, etc., *usque ad cui autem multum, multum quoque exigetur ab eo.* ‡ 6:8 *Non enim subtrahet personam.* Unde: *Non est personarum acceptor Deus, unumquemque juxta vias suas judicat* Act. 10.. § 6:10 *Ad vos ergo reges,* etc. Finito sermone ad potentes, et eorum duritia duris sermonibus increpata; ad rectores Ecclesiæ exhortationem convertit, et sapientiam miris præconiis extollit. ** 6:12 *Diligite,* etc., *et habebitis disciplinam.* Qui diligit sapientiam, servat in moribus disciplinam. Non enim amat sapientiam, qui non servat disciplinam. Unde: *Si diligitis me, mandata mea servate* Joan. 14..

sapientia: et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam.

¹⁴ Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.††

¹⁵ Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet.‡‡

¹⁶ Cogitare ergo de illa sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam cito securus erit.

¹⁷ Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se hilariter, et in omni providentia occurrit illis.

¹⁸ Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.

¹⁹ Cura ergo disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est;

²⁰ incorruptio autem facit esse proximum Deo.

²¹ Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

²² Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis:§§

²³ diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis.]

†† **6:14 Præoccupat qui se concupiscunt.** Gratis se offerens. Ipse enim est *via, veritas, et vita* Joan. 14.: per ipsum itur, in ipsum tenditur, ad ipsum pervenitur. ‡‡ **6:15 Assidentem illam,** etc. Semper paratam, scilicet auxiliari, unde: *Ecce ego sto ad ostium, et pulso, si quis aperuerit mihi, introibo ad eum et cœnabo cum illo, et ipse mecum* Apoc. 3.. In præsentī studendum est sapientiæ, et secundum normam disciplinæ ejus vivendum. §§ **6:22 Si ergo delectamini.** RAB. Reges admonet, etc., usque ad regni cœlestis coronam assequetur.

24 [Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam, et non abscondam a vobis sacramenta Dei: sed ab initio nativitatis investigabo, et ponam in lucem scientiam illius, et non præteribo veritatem.

25 Neque cum invidia tabescente iter habebō, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.***

26 Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum, et rex sapiens stabilimentum populi est.

27 Ergo accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis.]†††

7

1 [Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius qui prior factus est: et in ventre matris figuratus sum caro;

2 decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine: ex semine hominis, et delectamento somni conveniente.

3 Et ego natus accepi communem aërem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans.

4 In involumentis nutritus sum, et curis magnis:

*** 6:25 *Neque cum invidia tabescente.* Invidia non communicat sapientiæ, quia per invidiam diaboli introivit mors in mundum, et per sapientiam liberatur ab ea genus humanum.
 ††† 6:27 *Ergo accipite.* RAB. Ostensura sapientia, etc., usque ad perfectiores et sanativi et vitales esse dicuntur.

⁵ nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.*

⁶ Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus.

⁷ Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ:

⁸ et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.

⁹ Nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.†

¹⁰ Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.

¹¹ Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius;‡

¹² et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est.

¹³ Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.

¹⁴ Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei,

* **7:5 *Nemo enim ex regibus.*** RAB. Ostendit quod omnis homo, etc., usque ad sicut perfectus Deus, ita et perfectus homo est Jesus Christus. † **7:9 *Nec comparavi,*** etc. Unde: Inventa una pretiosa margarita, vendit omnia, et emit eam. Qui enim cœlestem sapientiam veraciter invenit, id est verbum Dei, despicit omnia emolumenta præsentis vitæ, philosophiam, eloquentiam, et divinæ theoricæ vacare contendit. ‡ **7:11 *Venerunt,*** etc. RAB. Hoc expertus Salomon, etc., usque ad unde et sol, quia solus in die inter astra luceat, sic nominatur.

propter disciplinæ dona commendati.

¹⁵ Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, et præsumere digna horum quæ mihi dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator. §

¹⁶ In manu enim illius et nos et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia, et disciplina.

¹⁷ Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum,**

¹⁸ initium, et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum,

¹⁹ anni cursus, et stellarum dispositiones,

²⁰ naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum.

²¹ Et quæcumque sunt absconsa et improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.]

²² [Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans

§ **7:15 Ipsæ sapientiæ dux.** RAB. Deus Pater incarnati Filii, cui dedit omnem potestatem in cælo et in terra. ** **7:17 Ipse enim.** RAB. De Salomone dicit Scriptura, Deus dedit, etc., usque ad ipse enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, **quem qui sequitur, non ambulat in tenebris** Joan. 1.

bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens,††

²³ humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis.

²⁴ Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam.

²⁵ Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum in eam incurrit:

²⁶ candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

²⁷ Et cum sit una, omnia potest; et in se permanens omnia innovat: et per nationes in animas sanctas se transfert; amicos Dei et prophetas constituit.

²⁸ Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.

²⁹ Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum: luci comparata, invenitur prior.

†† 7:22 *Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus*, etc. RAB. Ut Isaias ostendit, omnia dona Spiritus sancti in humanitate Salvatoris existunt, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, et plenitudo Divinitatis, cui non datur spiritus ad mensuram. ID. Spiritus qui implet omnia, mobilis simul et stabilis dicitur. *Homo* enim ubique discurrit, ubique obviam venit, et repente, ubi non creditur, invenitur. Omnipotens ergo Spiritus, ut ubique præsens signetur, stabilis simul et mobilis dicitur. ID. Unde: *Splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* Heb. 1., regens omnia verbo, etc., usque ad in tempore Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

30 Illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia.]

8

¹ [Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.]*

² [Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quæsi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.

³ Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei; sed et omnium Dominus dilexit illam.†

⁴ Doctrix enim est disciplinæ Dei, et electrix operum illius.‡

⁵ Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius quæ operatur omnia?

⁶ Si autem sensus operatur, quis horum quæ sunt magis quam illa est artifex?

* **8:1 Attingit a fine.** Id est a principio mundi usque ad adventum Christi, mirifica opera et sincera testimonia per Vetus Testamentum fortiter asserit, et ab incarnatione Verbi usque ad finem mundi suavitatem Evangelii exponit. **A fine ergo usque ad finem fortiter pertingit,** quia ubique perfecte agit: finis enim perfectionem significat. † **8:3 Glorificat contubernium,** id est, repræsentat **generositatem illius,** scilicet Patris, qui est ei coæternus et coomnipotens, vel partim de temporali nativitate, partim de æterna potestati legi. Habet **contubernium Dei.** Id est, humanitatem, in qua habitat Deus, qui est sapientia Patris. Vel **glorificat generositatem illius,** id est Dei Patris, id est, ejusdem essentiæ est cum Patre ab æterno genita, nata in tempore de matre. ‡ **8:4 Doctrix enim est disciplinæ.** De plenitudine ejus omnes accepimus: per quem gratia et veritas facta est, id est revelata. **Deum nemo vidit unquam, sed Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit** Joan. 1..

⁷ Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. §

⁸ Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat; scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum; signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum.

⁹ Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei.

¹⁰ Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis;

¹¹ et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me:**

¹² tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

¹³ Præterea habebō per hanc immortalitatem, et memoriam æternam his qui post me futuri sunt relinquam.

¹⁴ Disponam populos, et nationes mihi erunt

§ **8:7 Et labores hujus.** Nihil enim desidiosum in operibus ejus. Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, agit, et agenda suis committit. **Sobrietatem enim et sapientiam.** RAB. Qui temperans est, etc., usque ad et dedit illam Jacob puero suo. ** **8:11 Admirabilis.** Partus Virginis omnibus fuit admirandus, quia in resurrectionem et ruinam multorum exstitit, qui stat in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, ipsum gentes deprecabuntur.

subditæ:

¹⁵ timebunt me audientes reges horrendi. In
multitudine videbor bonus, et in bello fortis.

¹⁶ Intrans in domum meam, conquiescam cum
illa: non enim habet amaritudinem conversatio
illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiā et
gaudium.††

¹⁷ Hæc cogitans apud me et commemorans in
corde meo, quoniam immortalitas est in
cognitione sapientiæ,

¹⁸ et in amicitia illius delectatio bona, et in
operibus manuum illius honestas sine
defectione, et in certamine loquelæ illius
sapientia, et præclaritas in communicatione
sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi
illam assumerem.

¹⁹ Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum
animam bonam.‡‡

²⁰ Et cum essem magis bonus, veni ad corpus

†† **8:16 *Intrans in domum.*** RAB. Post prædicationem, post
operis laborem, quibus auditoribus sancti solatium præbent, ad se
redeuntes divinæ contemplationi vacant, ubi supernæ dulcedinis
quietem inveniunt. ID. ex Greg. Corporales deliciæ, etc., usque
ad unde David: ***Gustate et videte quoniam suavis*** Psal. 33.,
etc. ORIG. Qui aperit os mutum, etc., usque ad justitia autem quod
distributor et iudex meritorum sit. ‡‡ **8:19 *Puer autem,*** etc.
RAB. Salomon in pueritia postulaverat a Deo sapientiam, et ut recte
judicaret populum, et discerneret inter bonum et malum: factus
est ergo sapientissimus, et videtur sortitus animam bonam, qui
habuit cor sapiens et intelligens. Sed quomodo convenit ei quod
dicitur:

incoinquatum. §§

²¹ Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis:]

9

¹ [Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo,

² et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ quæ a te facta est,

³ ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitia, et in directione cordis iudicium iudicet:

⁴ da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis:

⁵ quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ; homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum.

⁶ Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

⁷ Tu elegisti me regem populo tuo, et iudicem filiorum tuorum et filiarum:*

§§ **8:20 Veni ad corpus incoinquatum**, etc., cum mulierem alienigenam amaverit, et idola ædificaverit? Videtur ergo magis convenire populo sanctorum qui in baptismo regeneratus est, et fide Salvatoris imbutus, pueritiam indolis suæ bonæ, et simplicis innocentiae perceperit, et cunctis studiis certaverit pervenire ad culmen virtutum: unde sequitur: **Et cum essem magis bonus**, etc. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.

Hujus membra facti sunt imitantes eum.

* **9:7 Tu autem elegisti**, etc. RAB. David, quia vir, etc., usque ad virtus et sapientia Dei, et imago Dei invisibilis.

⁸ et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare: similitudinem tabernaculi sancti tui quod præparasti ab initio.

⁹ Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis.

¹⁰ Mitte illam de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te:

¹¹ scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia.

¹² Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum juste, et ero dignus sedium patris mei.

¹³ Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?†

¹⁴ Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ;

¹⁵ corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

¹⁶ Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis investigabit?

¹⁷ Sensum autem tuum, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum

† 9:13 **Quis enim hominum.** Admiratur excellentiam Dei. Quasi: **O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!** Rom. 11. **Et, Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?** Isa. 40.

tuum de altissimis,‡

¹⁸ et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines?

¹⁹ Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.]

10

¹ [Hæc illum qui primus formatus est a Deo patre orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit,*

² et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia.

³ Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit.†

⁴ Propter quem cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans.

⁵ Hæc et in consensu nequitia, cum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit.‡

‡ **9:17 *Sensum autem.*** Nemo scit quæ fiunt in corde hominis nisi spiritus hominis, et nemo novit quæ sunt Dei nisi Spiritus Dei. Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei qui illuminat corda sanctorum.

* **10:1 *Hæc illum, qui primus.*** RAB. Bonitate Dei primus homo creatus, in paradiso locatus, cunctis animantibus prælatus: per transgressionem mandati, in miseriis hujus sæculi dejectus est; et per Dei sapientiam, id est Christum, reparatus, magnum pietatis divinæ indicium est. † **10:3 *Injustus in ira.*** Ut Cain, qui fratrem non juste peremit, cujus piaculi vindicta in diluvio soluta est, et generatio Cain deleta: sed Dei sapientia Noë, de stirpe Seth, ad reparationem orbis cum filiis suis in arca servavit. ‡ **10:5 *Hæc et in consensu superbia,*** etc. RAB. Diabolus per superbiam, etc., usque ad humilitas Christi adunavit.

⁶ Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: §
⁷ quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores: et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

⁸ Sapientiam enim prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his quæ peccaverunt nec latere potuissent.**

⁹ Sapientia autem hos qui se observant a

§ **10:6 Hæc justum**, etc. Hinc Petrus ait: Civitatem **Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens everione damnavit; exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens, et justum Lot oppressum a nefandorum injuriis, ac luxuriosa conversatione eripuit** II Petr. 2., etc. Uxor Lot retro respiciens, in statuam salis conversa est, ne qui per gratiam Dei ad vitam vocati sumus, veterem hominem respiciamus, media via remanentes. In statuam salis versa alios salit, unde: **Mementote uxoris Lot** Luc. 17., ne scilicet tanquam fatui negligamus, sed prudenter caveamus. ** **10:8 Sapientiam enim**, etc. **Hæc autem**, etc. Jacob fugiens Esau fratrem suum venit ad Laban avunculum suum, et in itinere per somnium vidit scalam erectam, et angelos Dei ascendentes et descendentes, et ipsum Dominum innixum scalæ dicentem sibi: **Ego sum Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac; terram in qua dormis dabo tibi, et semini tuo** Gen. 28.. Veniens autem in Mesopotamiam Liam et Rachel duxit, pro quibus oves Laban diu pavit. Qui eum mercede sua fraudulenter privare voluit. Sed per sapientiam Dei privatus est Laban, et Jacob ditatus, cum multis opibus rediit. Mystice vero hæc ad martyres pertinent, quos Christi misericordia a persecutoribus liberavit, confortans eos gratia Spiritus sancti et spe futuræ mercedis; et tandem victis hostibus, ad regnum cœlorum perduxit, ad laudem et gloriam nominis sui.

doloribus liberavit.

¹⁰ Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum; honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

¹¹ In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum.

¹² Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

¹³ Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum; descenditque cum illo in foveam,††

¹⁴ et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant: et mendaces ostendit qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam.]

¹⁵ [Hæc populum justum et semen sine querela liberavit a nationibus quæ illum deprimebant.‡‡

¹⁶ Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis.

¹⁷ Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili: et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem;

†† **10:13 Hæc venditum justum,** etc. RAB. Mystice Sapientia Dei martyres de persecutionibus eripuit, et exaltavit in regno cœlesti. Unde cum Christo venturi sunt iudices hostium suorum. ‡‡ **10:15 Hæc populum justum.** RAB.Mystice. Liberat Deus electos suos a persecutoribus, etc., usque ad ad præmia regni, ubi perpetuo decantant laudes liberatori suo.

¹⁸ transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam.

¹⁹ Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum,

²⁰ et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter:

²¹ quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.]§§

11

¹ [Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti.*

² Iter fecerunt per deserta quæ non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas.

³ Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt.

⁴ Sitierunt, et invocaverunt te, et data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro.]†

⁵ [Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum a defectione potus sui, et in eis cum

§§ **10:21 Quoniam sapientia,** etc. Sine sapientia Dei nec humana mens aliquid digne cogitare, nec os proferre potest: ab ipso ergo et sapientia et eloquentia petenda est. * **11:1 Dixerit opera,** etc. RAB. Populus Christianus per desertum hujus mundi prophetiam sequitur, ut perveniat ad patriam regni cœlestis; unde Petrus: **Habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco** II Petr. 1., etc. † **11:4 De petra altissima,** etc. Petra autem erat Christus, qui virga crucis percussus, quæ erat in manibus, id est in scripturis prophetarum, fudit aquam vivam.

abundarent filii Israël lætati sunt:‡

⁶ per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est.

⁷ Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis.

⁸ Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate,

⁹ ostendens per sitim quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares.

¹⁰ Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impii tormenta paterentur. §

¹¹ Hos quidem tamquam pater monens probasti; illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti.

¹² Absentes enim, et præsentés, similiter torquebantur.

‡ **11:5** *Per quæ enim pœnas*, etc. RAB. Memoratis beneficiis, etc., usque ad sive ergo patiantur, sive non, gloria est eis. § **11:10** *Cum enim tentati*. RAB. Israëlitas peccantes dignis plagis corripuit Deus, et pœnitentes consolatus est, Ægyptios et Chananæos tanquam misericordia indignos exterminavit. **Tormenta**, etc. A Pharaone, ubicunque scilicet essent. Vel, non tam hi quos Israëlité recenti clade per singulas civitates peremerunt, puniti sunt; sed et omnes Chananæi audientes victoriam populi Dei; unde Raab dicit: **Irruit in nos terror vester** Jos. 2., etc. Mystice autem, Judæi, qui incarnationem Filii Dei, et prædicationem despiciebant, ubique terrarum vagi, et pro fugi variis cladibus affliguntur. Gentiles vero ad fidem conversi, et suscipientes paternam correctionem a Dei misericordia non recedunt: ut qui fuerant in capite, sint in cauda, et e converso.

13 Duplex enim illos acceperat tædium et gemitus, cum memoria præteritorum.**

14 Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.

15 Quem enim in expositione prava projectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt, non similiter justis sitientes.††

16 Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quod quidam errantes colébant mutos serpentes et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam;‡‡

17 ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.

18 Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisâ, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones,

19 aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes;

20 quarum non solum læsura poterat illos

** 11:13 *Duplex*, etc. Præteritorum malorum recordatio non minuitur, et præsentium tempestas augetur. Unde nec habent spem remedii, quia pœnitentiam simulantes, non student emendationi; unde: *Cum occideret eos, quærebant eum, et dilexerunt eum* Psal. 77., etc. †† 11:15 *Non similiter justis*, etc. Quia non similiter peccant. Septies enim cadit justus, et resurgit: impius autem, cum in profundum venerit malorum, contemnit. ‡‡ 11:16 *Quod quidam errantes*, etc. RAB. Dignum fuit, etc., usque ad tota enim intentio est eorum genus humanum persequi, et cruciare id omnibus modis.

exterminare, sed et aspectus per timorem occidere.

²¹ Sed et sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, et dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, et numero et pondere disposuisti. §§

²² Multum enim valere, tibi soli supererat semper: et virtuti brachii tui quis resistet?

²³ Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram. ***

²⁴ Sed misereris omnium, quia omnia potes; et dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.

²⁵ Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odians aliquid

§§ **11:21** *Sed omnia in mensura*, etc. RAB. Quia omnia secundum veritatem, etc., usque ad quando illuminabuntur abscondita tenebrarum, et revelabuntur consilia cordium. *** **11:23** *Momentum stateræ*, etc. Simile dicit Isaias: *Ecce gentes sicut stilla situlæ, et quasi momentum stateræ repulatæ sunt* Isa. 40.; vult enim intelligi, quod mens, et ratio, et sensus Domini, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil, ille sit de quo dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt* Psal. 32., etc. *Omnes gentes quæ non cognoverunt creatorem suum*, ad comparationem Dei *quasi stilla situlæ sunt, et quasi momentum stateræ* quod leviter declinatur, *et sicut gutta roris antelucani* Sap. 11., quæ primo aspectus solis siccatur. Vel sicut situlæ stilla, si fluit a portante despicitur, vel negligitur: ita gentium multitudo cœlesti splendori, supernis mysteriis, et angelorum multitudini comparata, pro nihilo ducitur.

constituisti aut fecisti.†††

²⁶ Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur?

²⁷ Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.]

12

¹ [O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus !*

² Ideoque eos qui exerrant partibus corripis, et de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine.]

³ [Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti,†

⁴ quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina et sacrificia injusta,

⁵ et filiorum suorum necatores sine misericordia, et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis a medio sacramento tuo,

⁶ et auctores parentes animarum inauxiliatarum, perdere voluisti per manus parentum nostrorum:

††† 11:25 *Diligis enim*, etc. Bonus opifex, et opus suum diligit et regit: et si homo aliquando peccat, sustinet in multa patientia, et per pœnitentiam in melius convertit. Unde: *Solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* Matth. 5.; impœnitentes autem justo iudicio damnantur: *Justus enim Dominus, et justitias dilexit* Psal. 10.. * 12:1 *O Quam bonus et suavis*, etc. Per eos quos reple, vel per alios quos volueris; unde: *Ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de iudicio* Joan. 16.. † 12:3 *Illos enim antiquos inhabitatores*. RAB. Historialiter dicit, etc., usque ad virtutes adjuvante Spiritu sancto, utiles fructus afferent.

⁷ ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium carior est terra.

⁸ Sed et his tamquam hominibus pepercisti, et misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.

⁹ Non quia impotens eras in bello subijcere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare:

¹⁰ sed partibus judicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

¹¹ Semen enim erat maledictum ab initio; nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.

¹² Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?‡

¹³ Non enim est alius deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injuste iudicas iudicium.

¹⁴ Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.

¹⁵ Cum ergo sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque qui non debet puniri,

‡ **12:12** *Quis enim dicet*, etc. RAB. Manifesta ratione ostendit, quod non est contradicendum Creatori, si creaturam suam secundum propriam disponit voluntatem: quia in voluntate ejus universa sunt posita, et non est qui possit resistere ei. ***Justus est in omnibus viis suis*** Psal. 144.; unde sequitur, ***Cum ergo sis justus*** Rom. 9., etc.

condemnare, exterum æstimas a tua virtute. §

16 Virtus enim tua justitiæ initium est, et ob hoc quod Dominus es, omnibus te parcere facis. **

17 Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, et horum qui te

§ 12:15 *Cum ergo*, etc. Unde: ***Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit*** Psal. 31.. Magna distantia est inter iudicium electorum et reproborum. Illos Dominus corripit, ut emendet; hi superbiæ et perfidiæ pœnas luunt, ut contra dominatorem omnium se repugnare non posse cognoscant. Felix iudex qui pietatem et bonitatem sui iudicis semper inspicit. ***Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.*** Jac. 2.. ** 12:16 ***Virtus enim***, etc. Quia iudicium Dei, sive in correctione electorum, sive in damnatione malorum, summæ æquitatis perfectio est: et ideo per bonitatem suam diu differendo suspendit iudicium, ut plures habeat, quibus reddat beneficium. Quando enim creatura se erigit contra Creatorem justa punitur vindicta, ut se inferiorem cognoscat. Possunt hæc ad passionem Christi referri, quem Pater pro nobis in mortem tradidit, et eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: qui nisi indebitam mortem susciperet, non nos a debita morte liberaret. Pater ergo justus justum puniens, juste omnia disponit. Omnipotens Deus cum summa tranquillitate iudicat omnia: humani tamen affectus et membra, ei tropica locutione ascribuntur, ut secundum capacitatem nostram conformentur eloquia divina. Leguntur enim in Scripturis: oculi Domini, aures, manus, os, pedes, ira, furor, et hujusmodi, cum simplex natura nunquam recipiat varietatem, nec vera unitas divisionem. Multiplicia vero et diversa unus et idem operatur: Unde: ***Mutabis eos, et mutabuntur: tu autem ipse es, et anni tui*** Psal. 101., etc. Et alibi: ***Ego sum Deus, et non mutor*** Mal. 3.. Et alibi: ***Apud quem non est transmutatio*** Jac. 1., etc. Docuisti autem populum tuum: per mirifica opera Dei instruuntur fideles, ne complicentur iniquis; sed studeant se incontaminatos servare confitendo, et sperando in Domino, et non negligant pœnitentiæ tempus.

nesciunt audaciam traducis.

¹⁸ Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris posse.]

¹⁹ [Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse et humanum; et bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

²⁰ Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum per quæ possent mutari a malitia:

²¹ cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum !

²² Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus iudicantes, et cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam.

²³ Unde et illis qui in vita sua insensate et injuste vixerunt, per hæc quæ coluerunt dedisti summa tormenta.^{††}

²⁴ Etenim in erroris via diutius erraverunt, deos æstimantes hæc quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes.

^{††} **12:23 *Insensate***, etc., ut qui nolebant Creatorem agnoscere et honorare, digne traditi in reprobum sensum, facerent, ea, quæ non conveniunt, contumeliis afficientes corpora sua in semetipsis: ***Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et servierunt creature potius quam Creatori*** Rom. 1..

25 Propter hoc tamquam pueris insensatis
judicium in derisum dedisti.

26 Qui autem ludibriis et increpationibus non
sunt correcti, dignum Dei iudicium experti
sunt.‡‡

27 In quibus enim patientes indignabantur per
hæc quos putabant deos, in ipsis cum
exterminarentur videntes, illum quem olim
negabant se nosse, verum Deum agnoverunt;
propter quod et finis condemnationis eorum
venit super illos.]§§

13

1 [Vani autem sunt omnes homines in quibus
non subest scientia Dei; et de his quæ videntur
bona, non potuerunt intelligere eum qui est,
neque operibus attendentes agnoverunt quis

‡‡ 12:26 *Qui autem ludibriis,* etc. Id est, qui a Deo flagellati non sunt correcti, condignam damnationem experti sunt: ad hoc corripit Deus, ut emendet. Qui autem ingratus et impatiens murmurat, de temporali tormento ducitur ad æternum. §§ 12:27 *In his enim,* etc. RAB. Gentilitas dum idolis serviebat, etc., usque ad incorrectis æternam pœnam infligit.

esset artifex:*

² sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.

³ Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.

⁴ Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est illis:

⁵ a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.

⁶ Sed tamen adhuc in his minor est querela; et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et

* **13:1 Scientia.** Timor scilicet et reverentia. Unde: Ecce timor Domini, ipse est sapientia, et recedere a malo intelligentia. Recedit enim a malo, qui recedit a cultura idolorum: Deum timet, qui mandata ejus custodit: quia **Initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum** Psal. 110.. **De his** operibus, scilicet hominis, potuerunt cognoscere bonum artificem, qui proprie est, quia immutabilis, et semper idem, semper in se manens, regit omnia. Vanissima ergo vanitas hominum, qui pro Creatore creaturas venerantur. **Neque operibus.** Alii ignem colebant, quem Vulcanum vocabant; alii ætherem vel ærem, quem Jovem et Junonem dicebant; alii nimiam aquam, id est Neptunum; alii gyrum stellarum, qui diversis figuris animalium, positiones et cursum distribuebant astrorum; alii solem, quem Phœbum vocabant; alii lunam, id est, Dianam. RAB. Dupliciter peccant, etc., usque ad in quibus cupiditas hominis damnatur.

volentes invenire.†

⁷ Etenim cum in operibus illius conversentur inquirunt, et persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur.

⁸ Iterum autem nec his debet ignosci.

⁹ Si enim tantum potuerunt scire ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?]

¹⁰ [Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum: aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.‡

¹¹ Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuerit, et hujus docte eradat omnem corticem, et arte sua usus diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ;§

¹² reliquiis autem ejus operis ad præparationem

† **13:6** *Sed tamen*, etc. Hinc Paulus ait: **Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia quod nolunt est Dei, manifestum est in illis** Rom. 1., etc. Notitia Dei ex mundi fabrica percipitur. Ut enim Deus invisibilis ex invisibilibus cognosceretur, opus ab eo factum est, quod opificem manifestaret, ut Deus omnium intelligeretur, qui hoc fecit, quod non possunt alii. Sed **cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis** RAB. ‡ **13:10** *Infelices*, etc. Qui scilicet Deos honorant, ut aurum oculis hauriant, et nitorem levigati marmoris vel eboris, aut insignes gemmis et coloribus vestes: et quanto ornatiora sunt templa, et pulchriora simulacra, tanto plus majestatis habent, vel habere dicuntur. Religio ergo est, vel creditur, quod cupiditas humana miratur. § **13:11** *Aut si quis artifex*. RAB. Insultat sapientia his, etc., **usque ad Quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum** Philip. 3..

escæ abutatur,

¹³ et reliquum horum quod ad nullos usus facit, lignum curvum et vorticibus plenum sculpat diligenter per vacuitatem suam, et per scientiam suæ artis figuret illud, et assimilet illud imagini hominis,

¹⁴ aut alicui ex animalibus illud comparet: perliniens rubrica, et rubicundum faciens fuco colorem illius, et omnem maculam quæ in illo est perliniens;

¹⁵ et faciat ei dignam habitationem, et in pariete ponens illud, et confirmans ferro

¹⁶ ne forte cadat, prospiciens illi: sciens quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, et opus est illi adiutorium.

¹⁷ Et de substantia sua, et de filiis suis, et de nuptiis votum faciens inquit: non erubescit loqui cum illo qui sine anima est.

¹⁸ Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adiutorium inutilem invocat.

¹⁹ Et pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest; et de acquirendo, et de operando, et de omnium rerum eventu, petit ab eo qui in omnibus est inutilis.]

14

¹ [Iterum alius navigare cogitans, et per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se,

fragilius lignum invocat.*

² Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, et artifex sapientia fabricavit sua.

³ Tua autem, Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam,†

⁴ ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis adeat mare.

⁵ Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera, propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per

* **14:1 *Iterum alius navigare,*** etc. Hæc quoque contra idololatricam dicuntur. Maxima enim vecordia est, ut homo ad imaginem Dei editus, rationabilem ab ipso habens animum, quo excogitavit quomodo transiret fluctus, navem fabricans secundum artis suæ peritiam, non honoret illum qui hanc sibi dedit scientiam, et invocet idolum, quod simili arte et majori vanitate formavit. Cum enim major sit qui fecit quam quod fit, facturam suam adorare insanire est. A Deo navigandi cursus petendus, a quo navigii præparatio. Hæretici autem, qui vana fingunt simulacra errorum, ideo in fluctibus sæculi pereunt, quia navem Ecclesiæ reliquerunt, et gubernatorem Deum. † **14:3 *Quoniam dedisti.*** Israelitas per mare Rubrum sicco vestigio traduxit Dei potentia, et Jordanis aquas divisit, ut terrorem incuteret gentibus exterminandis, fidelibus quoque inter sæculi fluctus et persecutiones, præparat semitam fidei et constantiæ, ut transeant illæsi, nec est humani solatii opus, ubi Deus ostendit mirabiles effectus virtutis suæ.

ratem liberati sunt.‡

⁶ Sed et ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis quæ manu tua erat gubernata.

⁷ Benedictum est enim lignum per quod fit justitia;

⁸ per manus autem quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud: quia ille quidem operatus est, illud autem cum esset

‡ **14:5 *Sed ut non essent***, etc. Creator dedit scientiam creaturæ suæ, qua sibi in præsentī consuleret, ut ejus voluntati deserviret. Unde Noë arcam facere jussit, in qua ipse et progenies ejus salvaretur, et cætera animantia ad restaurationem orbis reservarentur, cum genus humanum pro iniquitate sua diluvio deleretur; unde Petrus: ***In qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam: quod et nos nunc similis formæ salvos fecit baptismi*** Petr. 3., etc. Arca de lignis levigatis constructa, Ecclesiam significat, quæ fit de collectione fidelium, artificio prædicatorum. Pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam mundo pereunte: quia ad comparationem reproborum parvus numerus est electorum. Pauci enim sunt qui viam vitæ inveniunt. Aqua diluvii extra positos occidit, quia hæreticum licet habentem baptismi sacramentum, ipsæ aquæ demergunt ad inferos, quæ arcam levaverunt ad cœlos. Octonarius quoque significat Ecclesiam, quod in sacramento Dominicæ resurrectionis percipit lavacrum baptismi. Ut sicut ipse resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus aqua regenerationis abluti. Hinc Jeremias: ***Stultus factus est omnis homo a scientia sua, confusus est factor in sculptili: quia mendax conflator ejus, nec est spiritus in eis. Vana enim sunt opera, et digna risu, et in tempore visitationis peribunt*** Jerem. 10..

fragile, deus cognominatus est. §

⁹ Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas ejus;

¹⁰ etenim quod factum est, cum illo qui fecit tormenta patietur.

¹¹ Propter hoc et in idolis nationum non erit respectus, quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.**

¹² Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitæ est: ††

¹³ neque enim erant ab initio, neque erunt in

§ **14:8** *Et qui fecit illud.* Simulacrum et cultura falsorum deorum. Diabolus enim inde punietur, quod sibi divinum honorem usurpat; et homo, qui pro Creatore creaturam honorat. Lignum vero sæpe hominem significat. Benedictus ergo homo, qui veritatem dicit et facit. Hæreticus autem, qui figmenta sua colit, maledictus est, et perditioni deditus, et opus, id est, doctrina ejus. ** **14:11** *Propter hoc.* Non est ignoscendum idolis, vel eorum inhabitatoribus, id est, dæmonibus, quia homines ad imaginem Dei factos ab ipso retrabunt, et in erroris muscipula subvertunt. Hæretici quoque, qui homines seducunt, districtum non evadent iudicium. †† **14:12** *Initium.* Pessimum enim genus est fornicationis, quo anima recedit a Deo, et fornicatur cum idolis, vel divini dogmatis veritatem relinquit, et sequitur falsitatem hæreticæ pravitatis, vel opinionis. Hinc Paulus avaritiam idolorum servitutem appellat. Unde constat, omnem malam concupiscentiam fornicationem vocari, qua anima relicta superiori lege inferiorum voluptate, turpi naturarum quasi mercede, prostrata vel prostituta corrumpitur.

perpetuum.‡

¹⁴ Supervacuitas enim hominum hæc advenit in orbem terrarum, et ideo brevis illorum finis est inventus.]

¹⁵ [Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem; et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia.

¹⁶ Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta.

¹⁷ Et hos quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quod longe essent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis quem honorare volebant fecerunt, ut illum qui aberat, tamquam præsentem colerent sua sollicitudine.

¹⁸ Provexit autem ad horum culturam et hos qui ignorabant artificis eximia diligentia.

¹⁹ Ille enim, volens placere illi qui se assumpsit, elaboravit arte sua ut similitudinem in melius figuraret.

²⁰ Multitudo autem hominum, abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimaverunt.

²¹ Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam

‡ 14:13 *Non enim*, etc. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et omnes qui loquuntur mendacium* Psal. 11.. Hinc Jeremias: *Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra* Jer. 11., etc.; LACT. t. 1.. Propter hominum stultitiam, etc., usque ad divinos honores parentibus detulerunt, deferrique jusserunt.

aut affectui aut regibus deservientes homines,
incommunicabile nomen lapidibus et lignis
imposuerunt.]§§

²² [Et non suffecerat errasse eos circa Dei
scientiam, sed et in magno viventes inscientiæ
bello, tot et tam magna mala pacem appellant.

²³ Aut enim filios suos sacrificantes, aut
obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas
vigilias habentes,***

²⁴ neque vitam, neque nuptias mundas jam
custodiunt: sed alius alium per invidiam occidit,
aut adulterans contristat,

²⁵ et omnia commista sunt: sanguis,
homicidium, furtum et fictio, corruptio et
infidelitas, turbatio et perjurium, tumultus

§§ **14:21 *Incommunicabile nomen.*** Incommunicabile Dei
scilicet omnipotentis nomen; qui solus est incomprehensibilis,
insensibili et fragili materiæ vel imagini ascripserunt. *** **14:23**

Aut enim filios suos. Sicut in sacris Saturni, cui propter
odium Jovis, sine respectu pietatis parvulos suos immolabant, et
Bellonæ ipsi sacerdotes proprio sanguine sacrificabant. Unde
Quintilianus: Istud, inquit, si cogit Deus iratus est: et si iratus est,
non acceptat sacrificia vestra. ***Aut obscura sacrificia.*** Sicut in
sacris Isidis Ægyptiæ, et Cereris Eleusinæ faciebant. Nam sicut ibi
Osiris planctu matris inquiritur, ita hic ad incestum patruī Plutonis
matrimonium, rapta Proserpina. Quam quia facibus ex Ætna ac-
censis, quæsisse Ceres in Sicilia dicitur, ideo sacra ejus ardentium
tædarum jactatione celebrabantur. Similiter in sacris Liberi patris
insaniunt, et magnæ matris, ubi ad exemplum deorum qui in
festivitate satiati, noctem luxibus totam duxerunt ludunt. Quia per
libidinem et immunditiam diis suis placere putabant.

bonorum,^{†††}

²⁶ Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ et impudicitia.

²⁷ Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est, et initium et finis.^{‡‡‡}

²⁸ Aut enim dum lætantur insaniunt, aut certe vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut pejerant cito. §§§

²⁹ Dum enim confidunt in idolis quæ sine anima sunt, male jurantes noceri se non sperant.

³⁰ Utraque ergo illis evenient digne, quoniam male senserunt de Deo, attendentes idolis, et juraverunt injuste, in dolo contemnentes justitiam.

³¹ Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna, perambulat semper injustorum

^{†††} **14:25 *Omnia commista.*** Omnia enim confusa erant: ibi nulla ratio, nulla religio vera. Quanto quis sceleratior erat, tanto magis deo suo placere putabat. ^{‡‡‡} **14:27 *Infandorum enim.*** Nulla major dementia, quam Deum vivum deserere, et mortuis deservire. Cum enim mens se a creatore suo avertit, omnibus implicatur sceleribus. ***Initium enim omnis peccati, superbia est*** Eccli. 10.. ***Finis.*** Consummatio et plenitudo. Qui enim pro Deo colunt idolum, omnia reputantur in eis in peccatum. §§§ **14:28 *Aut enim dum lætantur.*** Quia dum jurant, nomen Dei polluunt, qui ait: ***Non assumes nomen Dei tui in vanum, et per nomen deorum externorum ne juretis*** Exod. 20.; sed cum Deum illudere se æstimant, in æternam mortem semetipsos præcipitant. Hæretici autem errorum suorum simulacra colentes, perditionis suæ causa fiunt, quorum et doctrina falsa, vita injusta, lætitia insana, mors nefanda: quia cum injuste jurant in idolo, nec sperant in Deo suo, ideo meritorum suorum recipient vindictam. Unde sequitur: ***Non enim jurantium est virtus.***

prævaricationem.]

15

¹ [Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia.*

² Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam; et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati.

³ Nosse enim te, consummata justitia est; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.†

⁴ Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores:‡

⁵ cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.

⁶ Malorum amatores digni sunt qui spem habeant in talibus, et qui faciunt illos, et qui

* **15:1 Tu autem,** etc. RAB. Justo enim iudicio damnati sero pœnitentes agnoscunt, quod antea credere noluerunt; unde: **Cognosceatur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator** Psal. 9.; unde Joannes: **Qui habet spem in eo, sanctificat sicut et ille sanctus est: et omnis qui in eo manet, non peccat** I Joan. 3.. † **15:3 Nosse enim te,** etc. Perceptio est incorruptionis, et in futuro contemplationis; unde: **Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te verum Deum** Joan. 17., etc. ‡ **15:4 Non enim in errorem.** Ex persona fidelium loquitur, qui Dei gratia muniti, non miscuere se gentilium iniquitati vel idololatriæ: quia sine fructu justitiæ est labor iste, et mortem meretur æternam.

diligunt, et qui colunt.]§

⁷ [Sed et figulus mollem terram premens, laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas; et de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, iudex est figulus.

⁸ Et cum labore vano deum fingit de eodem luto ille qui paulo ante de terra factus fuerat, et post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat.

⁹ Sed cura est illi non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est: sed concertatur aurificibus et argentariis; sed et ærarios imitatur, et gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit.

¹⁰ Cinis est enim cor ejus, et terra supervacua

§ 15:6 *Malorum amatores,* etc. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* Psal. 134.. Inventores quoque falsorum dogmatum, et cultores digni sunt morte. Disperdet enim Deus virum qui hæc fecerit, id est magistrum et discipulum ejus. Reprobavit superius lignea, lapidea, vel ærea idola, nunc etiam fictilia damnat. Juste enim retributum est eis; ut qui de terra facti sunt, quia meliorem sui partem, id est animam, ad imaginem Dei creatam ad notandum Deum vivum, sequi volebant; viliores sui partem, id est, corpus terrenum imitando, luteum adorarent Deum, et sine boni operis fructu terræ insensibili, de qua sumpti sunt insensati, inutiles redderentur. Mystice autem hæretici et schismatici, qui veritatem Dei in injustitia detinent, et mendacium pro veritate in doctrinæ suæ simulacris colunt, licet eloquentia aut ficta virtute pallient, fragilia tamen et lutea sunt, quæ fingunt.

spes illius, et luto vilior vita ejus:**

¹¹ quoniam ignoravit qui se finxit, et qui inspiravit illi animam quæ operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem.

¹² Sed et æstimaverunt ludum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.

¹³ Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa et sculptilia fingit.††

¹⁴ Omnes enim insipientes, et infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, et imperantes illi:

¹⁵ quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum.

¹⁶ Homo enim fecit illos; et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere.

¹⁷ Cum enim sit mortalis, mortuum fingit

** **15:10 Cinis est cor eorum,** et fœda cogitatio eorum, et vita cœno sordidior; quia ignorant factorem suum, et evanesunt in cogitationibus suis. Sensum autem sanctorum patrum spernunt, et errores novos quasi ludos vanos propter favorem humanum et terrenum lucrum fingunt; errantes, scilicet et in errorem mitentes, ut inexcusabiles sint: cum judicabit Deus occulta cordium, et reddet unicuique secundum opera sua. †† **15:13 Hic enim scit,** etc. Nullam excusationem habent hæretici; quia scienter peccant, dum fidem sanam et rectam doctrinam nolunt imitari: magis terrenum sensum et fragilem quam spiritualem sequentes.

manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem numquam.]#

¹⁸ [Sed et animalia miserrima colunt; insensata enim comparata his, illis sunt deteriora. §§

¹⁹ Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspiciere: effugerunt autem Dei laudem et benedictionem ejus.]

16

¹ [Propter hæc et per his similia passi sunt digne tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt.

² Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, escam parans eis ortygommetram:*

³ ut illi quidem, concupiscentes escam propter ea quæ illis ostensa et missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi

15:17 **Melior est.** Quia melior est homo idolis secundum rationem creationis; quia vivit et intelligit, illa autem nunquam. Sed quia magis sequitur vanitatem erroris, quam veritatis scientiam, **cum in honore sit, non intelligit: et comparatur jumentis insipientibus** Psal. 48.. §§ 15:18 **Insensata.** Quasi: nec discretionem habebant. In veritate enim viventia meliora sunt mortuis, sensibilia insensibilibus, rationalia irrationalibus. Sed dignum fuit, ut qui ignorabant Creatorem, in creaturis distinctionem non scirent. Qui enim laudem et benedictionem Dei in se habere negligit, in discretionem animalium seipsum errare ostendit.

* 16:2 **Pro quibus,** etc. RAB. Populus Israël in deserto carnes concupivit, etc., usque ad ideo eis cruciandi juste traditi sunt.

autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam.

⁴ Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem; his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur.

⁵ Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur.

⁶ Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.†

⁷ Qui enim conversus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te, omnium salvatorem.

⁸ In hoc autem ostendisti inimicis nostris quia tu es qui liberas ab omni malo.

⁹ Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ illorum, quia digni erant ab hujuscemodi exterminari.‡

¹⁰ Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos.

¹¹ In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur: ne in

† **16:6 Sed non in perpetuum.** RAB. Non enim serpens æneus, etc., usque ad quia mortuus per humanitatem, quasi æneus est per Divinitatem. ‡ **16:9 Illos enim,** etc. Probantur electi per afflictionem, et monentur ut peccata caveant, et bona faciant. Reprobi disperguntur, quia non corriguntur. Ideo idololatrias parva animalia interimunt. Israëlitas vero Dei cultores serpentes exterminare non possunt; quia novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in die iudicii reservare cruciandos.

altam incidentes oblivionem non possent tuo uti adiutorio.

¹² Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos: sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. §

¹³ Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis.

¹⁴ Homo autem occidit quidem per malitiam; et cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est. **

¹⁵ Sed tuam manum effugere impossibile est.

¹⁶ Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi, et per ignem consumpti. ††

¹⁷ Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis justorum.

¹⁸ Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia, sed ut ipsi videntes scirent quoniam

§ **16:12** *Sed tuus, Domine, sermo.* Id est, Filius, per quem omnia, cujus potestas ubique, qui omnia quæcunque voluit fecit; ipse curat corpora, ipse a spiritualibus bestiis animas salvat.

** **16:14** *Homo autem occidit.* CHRYS. Homo per malitiam, etc., usque ad liber est ab omni crimine. †† **16:16** *Negantes enim nosse,* etc. RAB. Diversis plagis afflicti sunt Ægyptii, etc., usque ad quia ad Creatoris voluntatem omnia consentiunt.

Dei iudicio patiuntur persecutionem.‡‡

¹⁹ Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.

²⁰ Pro quibus angelorum esca nutritivisti populum tuum, et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. §§

²¹ Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat; et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.

²² Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant: ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluvia coruscans;

²³ hic autem iterum ut nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est.

²⁴ Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te

‡‡ **16:18 Quodam enim tempore.** RAB. Sicut in Genesi legitur: Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrhā ignem et sulphur, ut disperderet impios: et in Exodo, grandinem pariter et ignem. In libro Numerorum: Misit ignitos serpentes contra murmurantes, ut cognoscant impii quod omnis creatura parata est ulcisci injuriam Creatoris. §§ **16:20 Pro quibus,** etc. RAB. In deserto datum est manna filiis Israël, etc., **usque ad Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit** Psal. 31..

confidunt.***

²⁵ Propter hoc et tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum qui a te desiderabant:†††

²⁶ ut scirent filii tui quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conservat.

²⁷ Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat:

²⁸ ut notum omnibus esset quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare.‡‡‡

²⁹ Ingrati enim spes tamquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua.]

17

¹ [Magna sunt enim iudicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua: propter hoc

*** **16:24 *Creatura enim,*** etc. RAB. Confundantur hic peccatores: qui cum cæteræ creaturæ factori suo deserviant, ipsi repugnant. Unde creaturarum omnium concordia flagellantur: et si non pœnituerint, perpetuo cruciabuntur; bonis autem vera bona præparantur. ††† **16:25 *Propter hoc,*** etc. RAB. Pluit Deus manna de cœlo, etc., usque ad tanquam prævaricator legis in æternum peribit. ‡‡‡ **16:28 *Ut notum omnibus,*** etc. RAB. Iste cibus historialiter pascebat, etc., usque ad ad ortum vero solis, id est, Christi dicamus: ***Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.***

indisciplinatæ animæ erraverunt.*

² Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.

³ Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione nimia perturbati.

⁴ Neque enim quæ continebat illos spelunca sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.†

⁵ Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ

* **17:1 Magna enim.** RAB.Mystice. Omnes persecutores Ecclesiæ Christi, scelerum suorum tenebras patiuntur, nec unquam securi esse possunt, quos vexant rectores tenebrarum harum usque ad exteriores tenebras, ubi erit fletus et stridor dentium; unde: **Omnis qui male agit, odit lucem** Joan. 3., etc. Hinc Paulus: **Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino** Ephes. 5., etc. † **17:4 Neque enim.** Semper enim tenebras comitatur horror: et quanto minus discernit quis, quæ circa se sunt, tanto magis metuit, undique adversa pavitans. Sic Ægyptii triduo maximas tenebras patiebantur, quas nec sol, nec stellæ poterant illuminare, et unicunque jacebant, nimio terrore pavebant; quod autem dicit. **Tristes personas** eos terruisse, potuit fieri, ut dæmones aliqua phantasmata ingererent, qui eos ad augmentum pœnarum exterrerent. Persecutores quoque fidei et vertitatis, circumdant tenebræ peccatorum, quia ignorant solem justitiæ, nec prædicatores illustrent eos fulgore doctrinæ. Hos etiam **sonitus descendens**, id est comminatio cœlestis perturbat, et **personæ tristes**, id est dæmones, quandoque torturi terrificant; nec tamen agunt fructuose pœnitentiam: sed desperantes thesaurizant sibi iram in die iudicii.

illuminare poterant illam noctem horrendam.

⁶ Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus; et timore perculsi illius quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur.‡

⁷ Et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia.

⁸ Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

⁹ Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, et aërem quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre. §

¹⁰ Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia:

¹¹ nihil enim est timor nisi proditio cogitationis

‡ **17:6 Timore plenus.** Quia undique pœnas formidabant. Quanto enim sunt graviores dolores, tanto majores timentur horrores. *Et magicæ artis*, etc. RAB. Cum Magi in Ægypto, etc., usque ad et antiquum serpentem cum angelis suis sævum patienter inimicum. § **17:9 Et ærem**, etc. RAB. Nimietatem timoris notat, quem imminentibus pœnis redarguente conscientia patiuntur, cum autem semper timida nequitia, pavoris sui dat indicium, supplicio condemnata est.

auxiliorum.**

¹² Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat.

¹³ Illi autem qui impotentem vere noctem, et ab infimis et ab altissimis inferis supervenientem, eundem somnum dormientes,††

¹⁴ aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis et insperatus timor supervenerat.

¹⁵ Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.

¹⁶ Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem;

¹⁷ una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium,

¹⁸ aut sonus validus præcipitarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans

** **17:11 Proditio**, etc. Timor scilicet prodit infirmitatem superbientis, qui vana spe auxiliorum se extollit cogitando, cum posse se sperat, quod efficere non potest vel possit: et dum virtus minor est, valetudo rerum quas extrinsecus patitur, majorem putat esse potentiam, hoc in persecutoribus fidelium frequenter evenit, qui se potentes æstimant, cum sanctos cruciant, potentia eorum victi, mentis angustia contristati cognoscunt se non posse quod cupiebant et majorem esse fortitudinem Dei, qui sic vincit in militibus suis. †† **17:13 Illi autem**, etc. RAB. Ægyptii scilicet horrore tenebrarum circumdati, etc., usque ad tanquam periculosum formidabant.

de altissimis montibus echo: deficientes faciebant illos præ timore.

¹⁹ Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur.‡‡

²⁰ Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum quæ superventura illis erat: ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.]§§

18

¹ [Sanctis autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te;*

² et qui ante læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant, et ut esset differentia, donum petebant.

³ Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, et solem sine læsura boni hospitii præstitisti.

⁴ Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos,

‡‡ **17:19 Omnis enim orbis.** Quasi: impii erant in tenebris, sed ubicunque habitabant filii Israël, lux erat. §§ **17:20 Imago tenebrarum.** Graviores sunt tenebræ spirituales corporalibus: quia ducunt homines ad exteriores tenebras, ubi erit fletus et stridor dentium, quas Ægyptiæ tenebræ figurant. Sicut enim corpora ibi nullo bono operi utilia: ita et hic animæ simul et corpora æterno carcere damnantur; ubi nec ratio, nec locus, nec tempus est operandi. * **18:1 Santis autem tuis.** RAB. Israëlitæ in Ægypto, etc., usque ad in prosperis et in adversis protegit.

per quos incipiebat incorruptum legis lumen
sæculo dari.]†

⁵ [Cum cogitarent justorum occidere infantes, et uno exposito filio et liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, et pariter illos perdidisti in aqua valida.

⁶ Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut vere scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent.

⁷ Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio.

⁸ Sicut enim læsisti adversarios, sic et nos provocans magnificasti.

⁹ Absconse enim sacrificabant justis pueri bonorum, et justitiæ legem in concordia disposuerunt; similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes.‡

¹⁰ Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

¹¹ Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia

† **18:4 Digni quidem,** etc. RAB. Merito Ægyptii tenebrarum pœnam patiebantur, etc., usque ad cujus mysterii ratio in antiquis patribus figurata, et in adventu Christi completa est. ‡ **18:9 Absconse enim sacrificabant.** RAB. Populus Israël in Ægypto jussu Domini Pascha celebravit, etc., usque ad sed in abscondito cordis semper Domino sacrificant, unde: **Sacrificium Deo spiritus contribulatus** Psal. 50.. Et alibi: **In me sunt, Deus, vota tua** Psal. 55., etc. ID. Memorat Deum percussisse primogenita Ægypti, ubi nec sicut prius simulaverunt Ægyptii, sed palam cogebant exire populum Dei dicentes: **Omnes moriemur** Exod. 11..

passus.

¹² Similiter ergo omnes, uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles: nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant, quoniam uno momento quæ erat præclarior natio illorum exterminata est.

¹³ De omnibus enim non credentes, propter veneficia; tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum, sponderunt populum Dei esse.

¹⁴ Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet,

¹⁵ omnipotens sermo tuus de cælo, a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, §

¹⁶ gladius acutus insimulatum imperium tuum portans: et stans, replevit omnia morte, et usque ad cælum attingebat stans in terra.

¹⁷ Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati.

¹⁸ Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur causam demonstrabat mortis.

¹⁹ Visiones enim quæ illos turbaverunt hæc præmonebant, ne inscii quare mala patiebantur

§ **18:15 Omnipotens sermo tuus.** Filius de quo dicitur: *In principio erat Verbum* Joan. 1., etc., hic brachium et dextera nominatur: propter effectivam divinæ virtutis potentiam, hic tunc per angeli ministerium judicia sua fecit in primogenitis Ægyptiorum, qui postmodum sanctificavit sibi primogenitos Hebræos. Nunc quoque per aquam baptismi salvat multitudinem credentium, et interficit multitudinem spiritualium hostium.

perirent.**

²⁰ Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.††

²¹ Prosperans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

²² Vicit autem turbas non in virtute corporis, nec armaturæ potentia: sed verbo illum qui se vexabat subjecit, juramenta parentum et testamentum commemorans.

²³ Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impetum, et divisit illam quæ ad vivos ducebat viam.

²⁴ In veste enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum; et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.‡‡

²⁵ His autem cessit qui exterminabat, et hæc

** **18:19 Visiones.** RAB. Hoc divinæ bonitatis est, quæ peccantes castigat ut abstineant, et pœnitentiam agant. Si autem patientia Dei abutuntur, sine excusatione in æternum puniuntur. †† **18:20 Tetigit autem tunc et justos.** RAB. Memorat, etc., usque ad per quos interitum possimus evadere. ‡‡ **18:24 In veste enim poderis.** RAB. Byssum terræ deputant Hebræi, etc., usque ad in figura pontificali, Christum futurum prænoscebat, sed quia viderat carne indutum, non Deum sed hominem purum credidit; unde: **Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent** I Cor. 2..

extimuit: erat enim sola tentatio iræ sufficiens.]

19

¹ [Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim et futura illorum:*

² quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent, et cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos, pœnitentia acti.

³ Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, et quos rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur.

⁴ Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas; et horum quæ acciderant commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis repleret punitio:

⁵ et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent.

⁶ Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.

* **19:1 *Impiis autem,*** etc. Inimicis populi Dei: vindicta usque ad consummationem supervenit, quia nec vitam nec mores correxerunt, fictis enim argumentis simulabant pœnitentiam, et ideo non meruerunt indulgentiam. Unde Pharaon cum plagis afflictus, populum Dei se dimissurum promitteret, paululum respirans ad domesticam crudelitatem reversus est, donec in mari Rubro fluctibus submersus est. Persecutores enim Christiani nominis si perstiterint in malitia sua, sentient in pœna quantum valeat Dei justitia.

⁷ Nam nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua quæ ante erat, terra arida apparuit, et in mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio:

⁸ per quem omnis natio transivit quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia et monstra.†

⁹ Tamquam enim equi depaverunt escam, et tamquam agni exsultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.

¹⁰ Memores enim erant adhuc eorum quæ in incolatu illorum facta fuerant: quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.‡

¹¹ Novissime autem viderunt novam creaturam avium, cum, adducti concupiscentia, postulaverunt escas epulationis.

¹² In allocutione enim desiderii ascendit illis de mari ortygometra: et vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis quæ ante facta erant argumentis per vim fulminum: juste enim patiebantur secundum suas nequitias.]

¹³ [Etenim detestabiliorem inhospitalitatem

† **19:8 Videntes tua mirabilia.** Sic nos oportet liberatori nostro exsultantes gratias agere dicentes: **Benedic, anima mea, Dominum** Psal. 103.. Unde Apostolus: **Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite** I Thess. 5.. ‡ **19:10 Produxit terra.** Nota quod inimicis Dei terra produxit muscas, et fluvius ranas; cultoribus autem Dei terra dedit fructum, et mare carnis alimentum. Dignum est enim, ut fidelibus suis per opera sua nutrimentum, divina procuret providentia. Inimicis vero condignum tormentum per subditam sibi creaturam inferat. **Iuste enim patiebantur** RAB. Qui antiquos Dei servos, etc., usque ad viam veritatis non agnoscit, et ostium quod Christus est, non invenit.

instituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas; alii autem bonos hospites in servitatem redigebant.

¹⁴ Et non solum hæc, sed et alius quidam respectus illorum erat, quoniam inviti recipiebant extraneos.

¹⁵ Qui autem cum lætitia receperunt hos qui eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus.

¹⁶ Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus justi, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat.

¹⁷ In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certo potest. §

¹⁸ Agrestia enim in aquatica convertebantur, et quæcumque erant natantia, in terram transibant.

¹⁹ Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, et aqua extinguentis naturæ obliviscebatur.

²⁰ Flammæ e contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facile dissolvebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum,

§ **19:17 In se elementa.** Sicut in organo diversi soni ad concordiam melodiam temperamento consentiunt, ita discrepantia elementa servato jure naturæ ad Creatoris voluntatem flectuntur: non enim creaturam sibi condidit contrariam, sed per omnia voluntati suæ consentaneam. **Unde æstimari,** etc. RAB. Homines enim et jumenta, etc., usque ad ut appareret quod elementa mundi non suæ tantum conditioni, sed Creatoris deservirent voluntati.

Domine, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore et in omni loco assistens eis.]**

** **19:20 *In omnibus enim magnificasti.*** Misericors et miserator Dominus semper adest fidelibus suis, quos semper protegit et regit: quos aliquando in martyrio purgat. Unde: ***Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis*** Eccl. 27.. Multæ enim tribulationes justorum, et de omnibus his liberavit eos Dominus.

Bibbia Vulgata Clementina na 1598
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria
Migne edition 1880 in Latin

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 11 Jun 2026 from source files
dated 12 Dec 2025

7ca33455-379f-554d-a635-9009adb90c5